

A TEI Project

Palma

[Page 105]

Incipit liber qui dicitur palma Boncompagni.

In orto alieno plantaveram palmam, quem postmodum culpa cultoris evulsi, considerans tutissimum esse multorum pomeriis inserere, quod uni fuerat minus provide attributum. Sic enim amisit per vitium, quod non habuit per naturam. Liber siquidem iste non inmerito palma Boncompagni nuncupatur, quia de suis invidis illum reddidit victoriosum, et antequam ipsum deduceret in commune, refluuit multipliter et retractationis gloria meruit decorari. Rogo igitur illos, ad quorum manus hic liber pervenerit, quatinus ipsum dare non velint meis emulis, qui raso titulo me quinque salutationum tabulas non composuisse dicebant, et qui mea consueverunt fumigare dictamina, ut per fumi obtenebrationem a multis retro temporibus composita viderentur et sic mihi sub quodam sceleris genere meam gloriam auferrent. Est preterea liber iste mee rethorice prologus, licet in rethorica Tullium non fuerim imitatus. Nunquam

[Page 106]

enim memini me Tullium legisse nec secundum alicuius doctrinam me aliquid in rethoricis traditionibus vel dictamine fecisse profiteor, nisi quod quandoque causa deridendi emulos me Buchimenonem appellavi. Verumtamen nunquam Tullii depravavi rethoricam nec eam imitari volentibus dissuasi.

Quid sit dictamen.

Dictamen est quedam ymaginatio tractandi de aliquo vel de aliquibus per appositionem. Vel dictamen est ratio, qua verba ymaginata et in animo concepta congrue proferuntur.

Quid sit appositio.

Appositio est congrua et artificiosa dictionum structura que varium set non penitus diversum retinet modum cum constructione.

Unde dicatur dictamen.

Dictamen dicitur a dicto dictas. Nam qui dictamini congruam volunt operam exhibere, frequenter eos dicere oportet.

Quid sit prosaicum dictamen.

Prosaicum dictamen est oratio secundum libitum dictantis extensa nullisque metrorum legibus obligata. Vel prosaicum dictamen est ars, secundum quod est collectio preceptorum. Set non debet dici ars, immo artium mater, quia tota scriptura trahit originem a prosa. Nam rithmi et metra sunt quedam mendicata suffragia, que a prosa originem trahunt.

[Page 107]

Quare dicatur prosaicum dictamen.

Prosaicum dictamen dicitur a proto . . proso . ., quod latine interpretatur primo longum, quia istud primo fuit inventum; sicut dicitur protomartir id est martir primus. Vel dicitur primum id est originale seu maximum. Prosaicorum dictaminum aliud epistolare aliud sermocinale aliud rethoricum.

Quid sit epistola.

Epistola est cirografus absenti persone destinatus quandoque salutationem continens quandoque non, quandoque aliud loco salutationis positum ipsi salutationi contrarium. Salutationem continens, ut cum dicitur: I. episcopus servus servorum dei venerabili fratri D. constantinensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem. Quandoque non, quia negat multotiens salutationem propter aliquem excessum, ut cum dicitur: I. episcopus servus servorum dei G. bo. episcopo: Quod tibi salutationis alloquium non inpedimus, non ex apostolice sedis durtia, set de tuo manifesto procedit excessu.

Quare dicatur epistola.

Epistola dicitur ab epi, quod est supra, et stolum, quod est missio sive missus, quia epistola super id quod excogitari possit, gerit votum et propositum mittentis. Porro nuntius sepenumero quid portet, ignorat,

sicut fecit Urias, qui sue mortis et condemnationis litteras ad regis exercitum deportavit.

Quare fuerit epistola reperta.

Quare autem ars epistolandi fuerit reperta, si rei veritatem inspexeris, tibi facile patebit. Nonne vides, ut, cum alicui absentis amico aliqua secreta insinuare proponis, quod multo decentius per epistolam quam per nuntium voluntatem tuam et animi affectum exprimere non vales. Nam indiscretus et stultus nuntius exquisitissimam et exornatam portat epistolam. Ymaginarie amicus amico presentatur sibi ad invicem sua

[Page 108]

secreta revelant et quodam amabili dilectionis vinculo federantur, nichil tamen ad nuntium, sicut nichil ad asinum, si auro fuerit oneratus.

Ubi fuerit inventa.

Ubi autem ars ista primo fuerit inventa me nullatenus profiteor scire. Audivi tamen in Grecia, quod cum Israelitici sub pharaonis iugo captivi tenebantur in luto et latere quodam tempore illos sibi compulsi servire, nec audebat unus alteri suam exprimere voluntatem. Unde Moyses cepit scribere super lateres recentes et quedam populo israelitico per tales litteras intimare. Alii dicunt, quod in archa Noe fuerit reperta. Quidam enim in folio lauri cuidam filio Noe scripsit, ut patris pudenda cooperiret. Utrum autem hec sint vera vel fabulosa, penitus ignoro. Hoc autem sub silentio preterire non duxi, quod sub epistolari stilo privilegia, testamenta et confirmationes continentur.

Quid sit privilegium.

Privilegium est quedam voluntaria et auctoritabilis concessio, que semper a maiori persona minori confertur.

Unde dicatur.

Dicitur autem privilegium privatum legale, quia quadam privata lege multa per privilegium conceduntur. Porro istud legale privatum primo semper private id est in absconso acquiritur, et private ad curias accedunt, qui volunt privilegia id est privatas leges inpetrare. Vel dicitur privilegium quasi aliquid lege apropiatum. Nam apropiata lex esse dicitur, quando extra communes leges aliquid alicui ex gratia conceditur.

Quid sit confirmatio.

Confirmatio est sententie date vel dignitatis concessio rationabilis approbatio.

Quid sit testamentum.

Testamentum est ultime voluntatis dispositio.

Unde dicatur.

Testamentum dicitur a testibus, quia sine testium subscriptione sive adhibitione fieri non potest. Vel dicitur testamentum a testor testaris, vel a testatore. Nam ille dicitur testator, qui testamentum fieri iubet.

[Page 109]

Quot sint principales partes epistole et secundarie.

Quot sint principales partes epistole et secundarie, in presenti capitulo dicam. Set antiquorum et quorundam modernorum sententiam in primis censui prelibare. Olim erant quidam, qui sex esse dicebant partes epistole, scilicet salutationem, benivolentie captationem, exordium, narrationem, petitionem et conclusionem. Postmodum alii supervenerunt benevolentie captationem de predicto merito resecantes et dicebant, quod quinque erant partes epistole, sine quibus non poterat aliqua epistola constare. Item alii successerunt conclusionem de fine removens et dicunt epistolam ex quatuor solummodo partibus consistere debere: scilicet salutatione, proverbio, narratione et petitione. Quorum omnium sententiam de rationis plenitudine confisus improbo indubitanter, dicens tres tamen modo esse principales epistole partes: scilicet salutationem, petitionem et narrationem, sine quibus aliqua epistola perfecta esse non potest. Unde scire oportet, quod epistolarum alia perfecta alia imperfecta. Perfecta est illa, in qua precedentes partes congrue ponuntur. Imperfecta est illa, que predictarum partium radiis non illustratur. Preterea dico, quod de qualibet principali epistole parte potest fieri epistola, licet imperfecta. Nam Yvo quondam ecclesie carnotensis episcopus in sola salutatione unam epistolam fecit et episcopali sigillo impressit.

Scripsit enim cuidam neophito id est noviter veram ad fidem venienti hoc modo: Yvo carnotensis ecclesie humilis minister Ro. dilecto servo dei bene incipere et melius exequi et optime consummare. Verumtamen non est trahendum ad consequentiam, quod epistola fuerit perfecta.

Set epistola fuit, ex quo episcopali sigillo illam constat fuisse impressam,

licet fuerit imperfecta. Nam ego ipse a domino papa Celestino unam epistolam impetravi apostolica bulla impressam, in qua idem papa consulibus

[Page 110]

florentinis et toti populo salutationem penitus denegavit. Verumtamen epistola fuit et perfecta, quia titulum habebat id est nomen mittentis et recipientis erat in principio positum. Et ubicunque titulus cum narratione ponitur, epistola est perfecta, licet saluatio negetur, dummodo in narratione aliquod petitionis signum contineatur. Porro titulus sine salutatione principalis pars enim est licet diminuta, quoniam, licet paries alicuius domus sit in aliquo diminutus, nichilominus est illius domus pars principalis. Nam titulum et salutationem in epistolis pro indiferenti habeo. Set illa pars sumpsit nomen a digniori et dicitur saluatio pro eo, quod ponuntur in ea, que ad salutis optationem pertinere noscuntur. Preterea sicut domus absque fundamento, pariete ac tecto constare non potest, ita epistola sine illis tribus partibus non potest esse perfecta. Fundamentum enim est saluatio. Nemo quidem intelligeret, de quo vel de quibus dictator narraret, nisi quod premitteret salutationem. Paries est narratio. Nemo enim sciret, ad quid saluatio premitteretur, nisi narratio revelaret. Petitio est tectum, quia nemo posset scire mittentis intentionem, nisi aliquid infra narrationem, vel in fine narrationis sub petitionis specie poneretur. Secundarie vero partes epistole sunt infinite. Nam in ipso narrationis textu innumerabilia narrationis genera continentur, et sicut sunt diversi hominum vultus, ita et modi narrationum. Alii enim narrant magis generaliter alii minus, alii specialiter, alii proverbialiter, alii exortando, alii minus inferendo, alii consulendo, alii blandiendo, alii rogando, alii supplicando, alii plorando, alii suggerendo, alii peccata remittendo. Num quid dicam, quod suggestio, peccatorum remissio, exortatio et huiusmodi sint epistole partes? Si autem dicat aliquis, quod benivolentie captatio sit pars epistole, queras, quare amicitie captatio aut malivolentie captatio non sint partes epistole. Si vero dicat aliquis exordium esse partem epistole, queras, quare generalis sententia et minus generalis vel specialis non sint

[Page 111]

partes epistole. Si dixerit: ita ab antiquis fuit institutum, dico, quod illa institutio inutilis fuit et damnosa propter multiplicatam. Ego autem concedo exordium, benevolentie sive malivolentie captationem et conclusionem, generalem sententiam, exortationem, remissionem, blanditionem et alias innumerabiles esse partes epistole non principales, set secundarias. Nam omnes isti modi narrationes sunt, et tamquam species suo generi respondent.. Unde si vellemus tot partes assignare in epistolis, quot sunt modi narrandi, vix posset aliquis partes epistole nummerare.

(Quid sit saluatio.)

Saluatio est quoddam ineffabile gaudium mentis, quod aliqua voce vel actu exprimi non potest. Eo . . . anima movetur ad optandum alicui salutem per verba tertie persone.

Quid sit narratio.

Narratio est congrua verborum series, qua quis exprimit suam voluntatem et affectum.

Quid sit petitio.

Petitio est quidam petendi modus, per quem mittentis propositum certificatur. Nam quicquid aliquis narrando premitat, semper aliquid petere intendit, vel quod status illius, cui mittit, significetur, vel de aliquo negotio, de quo dubitat, certus reddatur, vel a simili per suum contrarium.

Quid generalis sententia.

Generalis sententia est illa, in qua generaliter de aliquo vel de aliquibus tractatur.

Quid magna generalis.

Magna generalis sententia est illa, que plurium potest esse negotiorum inchoativa. Vel dicitur hec magna generalis sententia, quia in

[Page 112]

partes epistole. Si dixerit: ita ab antiquis fuit institutum, dico, quod illa institutio inutilis fuit et damnosa propter multiplicatam. Ego autem concedo exordium, benevolentie sive malivolentie captationem et conclusionem, generalem sententiam, exortationem, remissionem, blanditionem

et alias innumerabiles esse partes epistole non principales, set secundarias. Nam omnes isti modi narrationes sunt, et tamquam species suo generi respondent.. Unde si vellemus tot partes assignare in epistolis, quot sunt modi narrandi, vix posset aliquis partes epistole nummerare.

(Quid sit salutatio.)

Salutatio est quoddam ineffabile gaudium mentis, quod aliqua voce vel actu exprimi non potest. Eo . . . anima movetur ad optandum alicui salutem per verba tertie persone.

Quid sit narratio.

Narratio est congrua verborum series, qua quis exprimit suam voluntatem et affectum.

Quid sit petitio.

Petitio est quidam petendi modus, per quem mittentis propositum certificatur. Nam quicquid aliquis narrando premittat, semper aliquid petere intendit, vel quod status illius, cui mittit, significetur, vel de aliquo negotio, de quo dubitat, certus reddatur, vel a simili per suum contrarium.

Quid generalis sententia.

Generalis sententia est illa, in qua generaliter de aliquo vel de aliquibus tractatur.

Quid magna generalis.

Magna generalis sententia est illa, que plurium potest esse negotiorum inchoativa. Vel dicitur hec magna generalis sententia, quia in

[Page 113]

philosophi hoc idem faciebant, sicut in eorum tractatibus potes invenire.

Quid proverbium.

Proverbium est brevis verborum series obscuram in se continens sententiam.

Unde dicatur.

Dicitur proverbium quia aliquid pro verbo id est aliquid obscurum verbum positum pro manifesto. Verbi gratia: Quidam accedit ad uxorem alicuius, qua multis temporibus est abusus; postmodum aliquis intuetur illum dicens: Quandoque hamus latebit sub esca, vel ita: Nunquam fuit vulpes adeo ingeniosa, que quandoque non caderet in laqueum venatoris. In primo proverbio ponitur esca pro muliere et hamus pro marito vel alio, qui debet in adulterum vindicare. In secundo proverbio ponitur vulpes ingeniosa pro adultero et laqueus venatoris pro insidiis mariti vel alterius. Hec autem et consimilia merito possunt proverbia nuncupari id est quedam obscura posita pro manifestis. Vel potest dici proverbium quasi pro multis verbis positum, quia unum proverbium ad multa potest negotia referri. Unde cum aliquis dicit aliquod proverbium in multorum presentia constitutus, respondet quidam et se scire fatetur, quare protulerit proverbium istud. Unde prolator sub quodam derisorio chachinno dicit hec illum ignorare. Potest etiam dici quasi approbatum verbum. Ceterum damnabiles gramantium caterve fece aurelianensium imbuta in stilo epistolari proverbium dicere non erubescunt, cum aperte dicat dominus in evangelio proverbium obscuram sententiam esse, ubi dicitur: Set veniet hora, in qua non in proverbis loquar vobis id est in obscuris sententiis, set palam id est manifeste annuntiabo de patre meo. Et Judei christo dixerunt: Ecce palam loqueris et manifeste et proverbium nullum dicis id est non dicis aliquam obscuram sententiam vel amiratione dignam. Et Jeronymus exponit

[Page 114]

proverbia Salomonis id est obscure sententie(!). Omne tamen proverbium generalis sententia est et obscura. Unde non debent alicuius narrationes principium in epistolis, privilegiis, testamentis et confirmationibus proverbium appellare, cum omnia in stilo epistolari debeant ita esse lucida et aperta, quod in prima vel secunda prolatione audientes intelligere possint. Possunt autem huius modi principia quandoque generales sententie vel exordia merito nuncupari. Verumtamen possunt dictatores quandoque proverbia in suis epistolis ponere, dummodo sciant, quid recipientes intelligere possint. Nam si alicui amico meo vellem super quibusdam factis et specialibus negotiis obtusius loqui, proverbialiter hoc modo dicere possem: Serpentem in sinu calefeci et minus provide dimisi pullos sub custodia vulpis. Hoc enim proverbium est, et nemo istud plenarie intelligeret, nisi sciret de materia facti.

Quid sit benevolentie captatio.

Benevolentie captatio est quedam laus, qua recipientis animus lectatur

et benivolus redditur mittenti.
Ubi possit benevolentia captari.
Benevolentia nempe in omnibus epistole partibus captari potest.
Captatur enim benevolentia quandoque per unam solam dictionem, quandoque per duas, quandoque per plures, quandoque per unam distinctionem, quandoque per plures, quandoque per unam clausulam, quandoque per plures, quandoque per totum tractatum. Captatur per unam dictionem hoc modo: deberes eum appellare nobilem virum, unde sufficeret, si diceres nobilem virum. Si autem dicas nobilissimum, captas benivolentiam in positione superlativi. Nam superlativum dignius est positivo. Set habenda est discretio in positione superlativorum, quia superlativa superhabundantem excellentiam notant, et non superhabundantiam. Quia quod superhabundat, superfluum est. Quia quod super habundantiam dicitur, uni soli convenit

[Page 115]

id est per superhabundantem excellentiam. Porro in plurimis tractatibus ponuntur satis congrue superlativa, et non secundum rei veritatem, quia infiniti sunt, qui desiderant inanes applausus et transitorias laudes. Multi enim appellantur sanctissimi et litteratissimi, qui non possent de positivo gaudere. Nam cum quidam sanctus a quodam piissimus appellaretur, respondit: sufficeret me pietatis positivo beari. Unde oportet dictatorem provide circumspectum esse et plurimorum addiscere consuetudines, quia frequenter potest ponere ad laudem, que ad vituperium spectabunt, et cum crederet benivolentiam captare, malivolentiam et odium incurreret. Ecce si alicui obviaret et ipsum, ultra quam se dignum crederet, salutaes inclinatio capite, crederet se derideri, et sic malivolentiam captaret. Nam ego cum per Alamaniam irem, cuidam obviavi rustico, quem teutonico idiomate nimium honorabiliter salutavi, alias in eo vulgari salutationes penitus ignorans. Ille vero infremuit spiritu et evaginato ense me occidere voluit, unde vix ab eius manibus evasi. Preterea memini me quendam vidisse plebanum, qui omnes extracto capello salutabat, credens benivolentiam a quolibet captare. Set tutius esset ei non ferre capellum, cum per ipsum derisionem et non benivolentiam iugiter captet. Ceterum non est meum propositum quoslibet captandi benevolentie (!) modos hic assignare, quia nimia prolixitas tedium generaret et in prologo non sunt omnia referenda. Concludo ergo breviter et dico, quod, ubicunque verba congrue ad laudem recipientis ponuntur, benivolentia procul dubio captatur.
Quid sit specialis sententia.
Specialis sententia est illa, in qua de aliquo vel de aliquibus specialiter tractatur.

[Page 116]

Quid simplex narratio.
Simplex narratio est illa, in qua unum solum narratur, hoc modo: presentibus tibi litteris innotescat, quod pater tuus VII Kal. augusti de hac luce ad meliorem vocante domino migravit.
Quid composita.
Composita est illa, in qua duo vel plura negotia narrantur hoc modo: Innotescat amicitie vestre quod (frater vester) superabiliter in bello existens gloriosum de hoste reportavit triumphum. Set eius inimici postmodum eum in itinere ceperunt.
Quid conclusio.
Conclusio est cuiuslibet tractatus seu epistole finis, qui quandoque fit affirmando, quandoque negando sub quadam dubitatione, ut cum dicitur, quod si feceris vel si non feceris. Verumtamen multis aliis modis potest fieri conclusio, et quandoque in principio epistole sagax dictator conclusionem ponere potest hoc modo: Si feceris, quod dominus cardinalis tibi significavit, omnes petitiones tue apud eum congruum sortientur effectum. Ceterum ipse amiratione non modica movetur, quod in obediendo sua precepta te sic demonstras austerum, cum sibi magna petere proponas. Ecce concludendo narras et narrando concludis.
Quomodo partes in epistola debeant ordinari.
Partes in epistola hoc modo debent ordinari: Primo facias fundamentum id est ponas titulum (epistole vel) salutationis, ut nomen mittentis et recipientis specificetur, ita tamen, quod nichil ponas in salutatione, quod ad sequens pertineat factum. Quia sicut in prima tabula salutationum mearum habetur, salutio non est nisi quidam titulus, qui ob hoc in principio epistole ponitur, ut nomen mittentis et recipientis specificetur, et sufficienter, quare hoc fieri non debeat, in ea tractatur.
Secundo facias parietem id est incipias generaliter sive specialiter a negotio,

de quo agitur, tractare. Tertio facias tectum id est aut infra narrationem vel in fine narrationis sub aliquo petitionis signo mittentis exprimas voluntatem.

[Page 117]

Quid sit distinctio.

Distinctio est quedam clausule particula, in cuius fine spiritus actione vocis fatigatus requiem auxilio puncti querere laborat. (Vel distinctio est quedam clausule particula, que quandoque puncto suspensivo, quandoque plano debet rationabiliter distingui et determinari.

Unde dicatur distinctio.

Distinctio dicitur a distinguo quis et dicitur distinctio quasi obscuritatis remotio. Unde cum aliquis obscure aut implicite legit, dicunt astantes: legas distincte id est ita legas, ut removeas obscuritatem, vel distingue id est specifica, quod dicis. Set distinctio aliter accipitur in decretis. Est enim ibi distinctio quorundam capitulorum summa et ponitur ad obscuritatis remotionem.

Quomodo ex dictionibus distinctiones componantur.

Distinctiones ita componuntur ex dictionibus sicut sillabe ex litteris, et sicut quedam sillabe plures aliis in se continent literas, ita quedam distinctiones plures aliis distinctionibus continent dictiones secundum magis et minus. Item distinctionum alia constat ex duabus dictionibus, alia ex tribus, alia ex quatuor et sic usque ad viginti, de quibus non est specificandum per singula, cum cotidie infinitas legere possis. Distinctio autem quandoque in una sola dictione consistit, ut cum dicitur: (Vis venire Bononiam? aliquis respondit sic vel non. Unde si dicat tantum sic vel tantum non, recta distinctione respondet et finali, quia bene distinguit se velle vel nolle ire et bene satisfacit questioni et querenti. Potest etiam fieri distinctio in omnibus verbis prime et secunde persone, ut cum dicitur: legis? distinctio est suspensiva, et si respondeatur ab interrogato: lego, erit distinctio finalis. Similiter cum dicitur: quis est in domo? - nullus vel M(artinus). Multis

[Page 118]

enim modis fiunt distinctiones in una sola dictione, set ex maiori parte sunt in sensu defective, et quandoque in una sola littera fit distinctio, ut cum dicitur: quid est hoc? - respondet aliquis: B vel C. Item distinctionum alia suspensiva, alia quasi finalis, alia finalis.

Quid sit distinctio suspensiva.

Suspensiva est illa, que auditoris animum detinet suspensum, nec potest per illam intelligere, quid prolator dicere velit, nisi aliud adiungat. Ut cum dicitur: cum sola Italia inter cunctas mundi provincias speciali gaudeat privilegio libertatis.

Quid sit quasi finalis.

Quasi finalis est illa, que quandoque animum auditoris de sensu locutionis quodammodo certificat. Ut cum dicitur: specialius est Italicis deferendum. Et nota, quod omnis distinctio quasi finalis potest esse finalis, dummodo ad sensum locutionis perficiendum accedat, sicut ista facit. Item nota, quod distinctiones quasi finales magis per sensum quam per punctum dignoscuntur.

Quid finalis.

Finalis est illa, que auditoria animum de sensu locutionis certificat. Ut cum dicitur: et illis universe provincie orbis merito subesse tenentur. Verumtamen non est ibi sensus irregularis, quia vix aut nunquam poterit aliquis in duabus aut tribus distinctionibus factum vel negotium aliquod significare.

Quid sit punctus.

Quid sit punctus, in tractatu virtutum non descripsi, set de eius virtute uteunque tractavi, et ideo dignum duxi aliquid adhuc dicere de punctis. Punctus est quidam titulus, per quem tota scriptura cognoscitur et terminatur. Vel est punctus terminus divisivus, per quem

[Page 119]

distinctiones universe clarescunt. Nam ita dividuntur distinctiones per puncta, sicut campi per positionem terminorum. Vel punctus est quidam iudex ordinarius, qui quadam sententia sua iudiciali totam scripturam determinat et castigat nec permittit aliquam distinctionem seu clausulam transgressibiliter per agrum currere alienum. Unde dicatur.

Punctus dicitur a puncto tas, vel dicitur punctus a pungo gis. Quia quando scriptor vult facere punctum, ita erigit pennam, quod cartam tam pungere videtur. Punctorum alius suspensivus, alius planus.

Quid sit punctus suspensivus.

Suspensivus est ille, qui virgula scribitur sursum erecta. Unde sensum locutionis denotat incompletum, vel punctus suspensivus est quidam fidelis et preambulus nuntius, qui puncti plani denuntiat adventum.

Ideo dixi "fidelis", quia semper ante punctum planum, quandoque semel, quandoque bis, quandoque ter, quandoque quater, quandoque quinquies vel plus, preire consuevit. Et ideo dixi "fidelis", quia propriis humeris onera portat locutionum, quousque punctus planus ipsas sine gravamine suscipere possit.

Quid planus.

Punctus planus est ille, cuius in gremio legentis animus quiescit et totius sensus locutionis successive terminatur. Quod autem dixi "virgula sursum erecta" et "virgula plana" non mireris! Quoniam Ebrei et Greci talibus punctabant virgulis, vel quia talia puncta virgulas appellabant. Nam hodie multi secundum artium et scripturarum varietates multas faciunt punctorum varietates, de quibus non est ad presens idoneum pertractare. Item est alius punctus, qui virgula interrogativa nuncupatur, que fit semper per dictionem post dictionem interrogativam, ut "quid est hoc?".

Quid punctus habet copulare.

Punctus nempe multiplices habet virtutes copulandi. Nam quandoque

[Page 120]

copulat litteram littere, quandoque sillabam sillabe, quandoque dictionem dictioni, quandoque distinctionem distinctioni, quandoque orationem orationi, et sensum locutionis alteri locutioni. Et nota, quod tantummodo punctus suspensivus ponitur pro copula. Item nota, quod suspensivus quandoque magis copulat quandoque minus, quandoque multo minus. Magis enim copulat, quando duplicem habet vim copulandi, hoc modo: Alexander Persiam, Menelaus Troiam, Romani Cartaginem et Pisani Maioricam vicerunt virtute potenti. Minus enim copulat, ut cum dicitur: Martino, Johanni, Petro et Bernardo salutem. Modo non copulat nisi nomen alteri nomini. Multo enim minus, ut cum copulat dictionem dictioni et litteram littere. Et nota, quod, quando distinctiones ita copulantur per puncta suspensiva, in principio ultime distinctionis semper debet poni copula, quoniam illa non intelligitur ibi repeti, ubi suspensivus punctus pro copula positus fuerit. Alioquin non esset latinum. Hoc idem est intelligendum de dictionibus et litteris. Et nota, quod nullus punctus planus potest pro copula poni, quia ubicunque copula ponitur, vox legentis (semper) detinetur suspensa. Simili ergo modo illud, quod postea ponitur illius vicem gerere debet. Item nota, quod semper post punctum planum clausule debet inceptio fieri et prima illius clausule littera debet scribi grossa, ita, quod caput clausule fore videatur. Item nota, quod post punctum suspensivum nunquam potest esse clausule inceptio. Unde illi, qui scribunt salutem vel aliquid positum loco salutationis per litteram grossam, ambulant tamquam ceci, qui viam, per quam gradiuntur, penitus ignorant. Verumtamen in salutationibus et infra epistole textum propria nomina scribi debent per litteram grossam ad maiorem certitudinem reddendam (et causa honoris). Et preterea punctus quandoque

[Page 121]

est literarum comprehensivus, ut cum circumponuntur littere pro proprio nomine posite.

Quid sit clausula.

Clausula est quedam cuiuslibet tractatus particula, que quandoque duas, quandoque tres, quandoque quatuor, quandoque V, quandoque VI, vel etiam VII in se continet distinctiones. Nam ad minus ex duabus distinctionibus constitui potest, ad plus vero ultra VII habere nullatenus valet, si magne fuerint distinctiones; quia locutionis sensus nimium redderetur obscurus. Ex duabus hoc modo:

Propter antiquam consuetudinem Armeni et Greci nutriunt barbam.

(Vel aliter: Armeni et Greci nutriunt barbam, ut graviore in omnibus videantur.

Ex tribus hoc modo:

Indi dominum, qui est ipsa veritas, venerantur et respuendo mendacium patrem adorant in spiritu et veritate. Vel aliter:

Auro et lapidibus preciosis Babilonia decoratur et diversis aromatum et specierum generibus affluens paradisi poma et balsami producit.

Vel aliter:

Tenebrose caliginis cecitas ita Saracenorum occupavit animos, quod pudenda cotidie lavant, dominum propter hoc placare credentes. Vel aliter: Vellius de montanea fallacem in terris constituit paradisum in quo facit quosdam homines ab ipsa pueritia enutriti, qui pro eo subire mortem postmodum non formidant. Vel aliter: Suriani se adulterii crimine polluunt et cuncta meretricandi genera invenientes tamquam lupanarii iugiter fornicantur.

[Page 122]

Greci sagaces et invidi Siculi magicis operibus insistunt et mirabilia facinora (ex)cogitantes venenata sepe pocula propinant. Vel aliter:

In florida urbe Morroch residet Miramominin, qui cunctos hodie mortales in divitiis excellit et cuncta librat secularis iustitiae statera.

Ex quator hoc modo:

Calabritanos inermes, Apulos pusillanimes et Sardos zelotipie vitio et conditione servili esse proscriptos totus predicat orbis. Vel aliter:

Affricos nudos, Ethiopes horridos et Provinciales mendaces video per effectum. Vel aliter:

Corsi de curialitate plurimum commendarentur, si fures non essent et proditores et ea postmodum non raperent, que primo fuerant elargiti.

Romani guerras et seditiones iugiter commoventes civilia bella committere non formidant, et pristinae glorie immemores existentes pecuniam per fraudem et violentiam exigere non omittunt. Vel aliter:

Tusci rebus propriis commendabiliter utuntur et plurimis coruscant

[Page 123]

virtutibus, si fraudis et invidie nebula eos non facile tenebraret.

Vel aliter:

Lombardi sunt libertatis patroni, proprii iuris egregii defensores, et illi, qui pro libertate tuenda sepius pugnaverunt, merito sunt Italiae senatores. Vel aliter:

Marchiani simplices, Romanioli proditores atque bilingues et Dalmatiae atque Croatiae piscatores ab omnibus esse censentur. Vel aliter:

Curialis Marchia Veronensis nomen accepit ab inclita Verona, que trium provinciarum caput existit et est indesignabili amenitate dotata.

Ex V hoc modo:

Bestialium Sclavonum detestabiles predico mores, cupiens universos eorum vitare consortium, qui non homines set iumenta possunt merito nuncupari, et licet humanam habeant formam, tamen in pluribus bestialiter vivunt. Ex VI hoc modo:

Pusille fidei Ungarii corpora cibariis replent, universos largiflua alunt, plurima munera largiuntur et tamquam cursibiles venatores omni tempore loca silvosa regirant. Vel aliter:

Boemi formosi et furentes in armis ebrietate se turpiter fedant, et carnes comedunt semicruentas a quibus parum differunt Polani, set silvestris natio Rutenorum loca venando discurrit.

Teutonici per furorem, Alobroges per latrocinium, Francigenae per arrogantiam, Yspani per mulas, Anglici per caudam et Scoti per mendacitatem a plurimis deridentur.

[Page 124]

Preterea multe sunt clausularum diversitates, quarum diversitatum sententias nemo unquam dicere posset. Nam sicut varii sunt dictatores, ita et clausularum diversitates. Diversa enim sunt genera materialium, et ideo diversis clausulis nos uti oportet. Porro aliquis facit clausulas magnas, aliquis parvas, aliquis mediocres. Verum tamen sive sint magne sive sint parve sive mediocres, laudabiles sunt loco et tempore suo, si congrue in narrationibus ponantur. Et nota, quod non est adeo magna, que non possit diminui nec adeo parva, que non valeat augmentari. Fiunt enim clausule, secundum quod dictatori negotia occurrunt. Set est distinguendum, utrum unum velit negotium significare vel plura. Si unum distinguendum est, utrum habeat pauca vel plura significata. Si pauca, paucis debes clausulis uti. Si multa, nitaris ad breviter, quia brevitatis est dulcis aurium amica, dummodo non generet obscuritatem. Ego enim in una clausula posito salutationis titulo unam epistolam multotiens finivi. Verbi gratia: Quandoque

scribere volebam pauperibus scholaribus, qui libenter meam audiebant doctrinam, set verecundabantur venire, quia mihi non poterant sua donaria exhibere. Unde talem illis epistolam destinavi: Universis pauperibus Boncompagnus, quicquid potest. Nolo, quod propter aliquam paupertatem verecundie pallore afficiamini, set libere ad liberum accedatis et ipsius liberalitate pro vestre voluntatis arbitrio utamini,

[Page 125]

procul dubio tenentes, quia, quod divinitus est collatum, vobis procurabo liberaliter impertiri. Hec enim fuit una epistola, et multotiens hoc facere potest providus dictator(, si pauca debuerit significare). Unde dicatur.

Clausula dicitur a claudio dis, aut quia sensum locutionis in se claudit, aut quia distinctiones in suo sinu tenet clausas. Vel dicitur clausula quasi divisa, quia inter punctum planum et litteram grossam semper clauditur vel claudi debet. Item clausularum alia suspensiva, alia quasi finalis, alia finalis.

Quid sit clausula suspensiva.

Suspensiva est illa, que sensum integralis locutionis detinet suspensivum hoc modo: Ad urbem pro confirmatione prebende mihi assignate properaveram credens, quod C. S. Theodori diaconus cardinalis, quondam socius et scholaris meus, mihi deberet assistere et prestare mihi auxilium et favorem. Hec enim est clausula suspensiva, nec ideo dicitur suspensiva, quod in fine ultime distinctionis punctus debeat fieri suspensivus. Set quia sensus locutionis adhuc detinetur suspensus.

Quid quasi finalis.

Quasi finalis est illa, qua prolata quodam modo de sensu locutionis auditoris animus certificatur hoc modo: Ipse vero preteritorum immemor et avaritie lepra infectus ab adversariis meis pecuniam accepit, et mihi apud dominum papam ita extitit contrarius, quod meum propositum non potui perducere ad effectum.

Quid finalis.

Finalis est illa, qua prolata integralis sensus de negotio, quod agitur, consurgit et perficitur, et ex eo plene certificatur animus auditoris hoc modo: Nunc autem domum sine dilatione revertor habens in proposito

[Page 126]

laicalem ducere vitam, ex eo, quod ecclesiasticum non valeo beneficium adipisci. Et nota, quod omnis quasi finalis potest esse finalis, licet sensus integralis negotii, de quo agitur, sit imperfectus.

Quomodo ex clausulis extimantur epistole et quilibet prosaicus tractatus.

Ex clausulis multis modis epistole fiunt et quilibet prosaici tractatus.

Set vitando prolixitatem, cupio in presenti capitulo breviter plurima concludere paucis. Puta: scribit papa imperatori pro uno vel (pro) pluribus negotiis. Pro uno sic poterit incipere dictator: Cum ex iniuncto adeo nos officio teneamur omnes ecclesie filios assidue ammonere ne se involvant illecebris terrenorum, multo attentius tuam imperialem maiestatem litteris apostolicis debemus sollicitare, ut sic transeat per omnia temporalia, ne penitus amittat eterna. Nec ob hoc ista referimus, quod te in aliquo contra ecclesiam dei derelinquere credamus, set ut nostre benedictionis et ammonitionis gratia fretus de bono in melius perseveres, et imperii tui iura valeas omni tempore alacriori animo pertractare.

Hec enim esset una epistola, si salutatio premitteretur. Verumtamen in tali ammonitione posset dictator tractatum non modicum prolongare. Si autem in eadem epistola vellet aliud significare negotium, hoc modo procedere posset: Preterea dilectum filium nostrum magistrum B., quem nos et fratres nostri sue devotionis et scientie intuitu intimo diligimus karitatis affectu, celsitudini tue propensius commendamus tuam attentius rogitantes excellentiam, ut ipsum debeas nostrarum precum interventu multipliciter honorare et suis petitionibus ita dignum et favorabilem prebere assensum, quod nostras preces sibi sentiat profuisse et nos tue magnitudini propter hoc teneamur multiplices gratiarum exsolvere actiones.

Nam in epistola ista duo sunt significata, quia ibi de duobus diversis negotiis narratur. In duabus primis clausulis continetur ammonitio pape et quotcunque clause ponerentur ibi, que ad ammonitionem pertinerent, ad unum tantum significatum spectarent. In tertia vero clausula continetur

[Page 127]

comendatio magistri B., quam facit papa imperatori et quidquid

postmodum, pro dicto, magistro in eadem epistola poneretur, ad unum tantum significatum spectaret. Ceterum ego iam multotiens in una clausula quinque posui significata hoc modo: Detestabilis avaritia Romanorum, proditoria grecorum astutia, perorrende saracenorum insidie, abhominanda Siculorum invidia et Apulorum pusillanimitas sunt penitus evitanda. Quod autem, de hiis dictum est, de omnibus tractatibus intelligere potes. Verumtamen oportet dictatorem imponendo clausulas providum esse atque sagacem et suum tractatum semper mediocritatis legibus cohibere. Nam ego sepe numero ad mensuram carte dictavi, aut quia carta deficiebat aut quia ita in animo agere proponebam: Set qui hoc facere temptat, inspiciat cartule quantitatem, sicut providus sartor pannum, do quo camisiam disposuit facere vel gunnellam . Nam primo ymaginatur, unde posset facere manicas et girones et cetera queque, postmodum vero, secundum quod videt, incidere consuevit.

[Parent Institution](#) | [TEI](#) | [Search](#) | [Feedback](#)

Boncompagnus de Signa. Date: 04/06/2002
